

OFFICIUM PROPRIUM
SANCTI ANTONINI,
PATRONI ET TITULARIS CIVITATIS
PALENTINÆ,
AUTORITATE APOSTOLICA, ET REGIA
receptum.

D^r
com

Anno


1722.



CVM LICENTIA:

Vallif-Oleti : Ex Typographia ILDEPHONSI
à RIEGO , Universitatis
Typographi.

OPUSCULUM PROSPERUM
PATRONI ET TITULARIS CIVITATIS
AUTORITATE APOSTOLICA ET REGIA
receptum.



CVM LICENTIA

Ex Typographia Universitaria
Typographia



T. 1401194 C. 72311365

B. 181202



OS EL Licenciado Don Pedro Ve-
 larde, Prior de Santillana, de el
 Consejo de su Magestad, Comissario
 general de la Santa Cruzada,
 Subsidio, y Escusado, Juez Dele-
 gado por su Santidad, y Superintendente por su Ma-
 gestad, de lo tocante à los libros del nuevo Rezado, &c.
 Por quanto por parte del Dean, y Cabildo de la Igle-
 sia de Palencia, se nos ha hecho relacion, que en el di-
 cho Cabildo se avia hecho, y ordenado un Quaderno
 del Oficio de San ANTOLIN, Patron de la dicha
 Iglesia: Y para le poder rezar, se avia por su parte
 suplicado à su Santidad le mandase aprobar; y que
 aviendolo su Santidad cometido al Cardenal Sirleto, le
 aprobò, y diò por bueno, como nos podria constar del
 dicho quaderno, y aprobacion, de que ante Nos hizo pre-
 sentacion. Suplicandonos, que atento que en èl no ay
 cosa tocante al nuevo Breviario, y Missal, que la San-
 tidad del Papa Pio V. hizo, y ordenò en conformidad
 de lo acordado en el Santo Concilio de Trento, le man-
 dassemos dàr licencia para le poder imprimir, y ven-
 der en el dicho Obispado. Y constandonos lo susodicho
 ser ansi, le mandamos dàr la presente, por la qual da-
 mos licencia à qualquier Impressor de estos Reynos, y
 señorios de su Magestad, para que pueda imprimir el

*dicho quaderno del oficio de San Antolin, que le ser à da
do por parte del Dean, y Cabildo de la dicha Iglesia de
Palencia, sin que por ello cayga, ni incurra en pena,
ni censura alguna: de lo qual mandamos dàr la presen-
te. Que es fecha en Madrid à diez y seis dias del mes de
Março de 1579. años.*

El Lic. Don Pedro Uelarde:

Por mandado de su Señoria Reverendissima.

Antonio Uoto.

TIENE la Santa Iglesia de Palencia las Aproba-
ciones, y Licencias necessarias para poder
imprimir este Quaderno del Oficio de San Antolin.

DIE II. SEPTEMBRIS

IN FESTO

SANCTI ANTONINI

MARTYRIS, DUPLEX I. CLASIS

CUM OCTAVA,

Omnia de Communi vnus Martyris, præter ea quæ hic
sunt propria.

AD VESPERAS.

Antiph Inclytus genere, cum
reliquis de Laudibus. Psalm.

Dixit Dominus, cum reliquis
de Dominica, & loco vltimi,
Psal. Laudate Dominum om-
nes Gentes.

Capitulum. *Iacobi I. b*

Beatatus vir, qui suffert ten-
tationem: quoniam cum
probatus fuerit, accipiet
coronam vitæ, quam repromi-
sit Deus diligentibus se.

Hymnus.

Deus tuorum militum
Sors, & corona, præmiũ,
Laudes canentes Martyris
Abolve nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia,

Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans,
Pervenit ad Cælestia.

Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Fûdensque pro te sanguinẽ;
Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus pijsime;
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam seruilis.

Laus & perennis gloria
Patri fit atque Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

✠ Gloria & honore coronasti
eum Domine. R. Et cõstituisti
eum super opera manuum tua-
rum.

Ad

Ad Magnificat.

Antiph. Hic est Martyr Antoninus, cuius sanctum corpus in martyrio divisum, duabus in partibus tumulatum est; ipse vero Christo coniunctus, cum ipso regnat in coelestibus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem beati Antonini Martyris tui solemnitate clarificas: exaudi preces populi tui, & præsta; ut quæ fideliter expetit, eo suffragante consequi mereatur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Regem Martyrū Dominum.

Venite adoremus. Psalmus.

Venite, exultemus. Hymnus.

Deus tuorum militum. Ut supra, in vesp.

In primo Nocturno.

Antiph. In lege Domini fuit voluntas eius die ac nocte.

Psalmus Beatus vir. Antiph.

Prædicans præceptum Domini, constitutus est in monte sancto eius. Psalmus. Quare fremuerunt Gentes. Antiph.

Vocē mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo. Psalm. Domine, quid multiplicati.

ŷ. Gloria & honore coronasti eum Domine. *Re.* Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 8. c

FRatres, Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ pæsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam, expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

Re. Iste sanctus pro lege Dei sui certa-

certavit vsque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: * Fundatus enim erat supra firmam petram. ψ . Iste est qui contempfit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Fundatus.

Lectio ij.

SCimus autem, quoniam diligentes Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit; & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

R. Iustus germinabit sicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ψ . Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Et florebit.

Lectio iij.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

R. Iste cognovit iustitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero sanctorum. ψ . Iste est qui contempfit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Filij hominum scitote quia Dominus sanctum suum mirificavit. Psalm. Cum invocarem. Antiph. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum Domine. Psal. Verba mea auribus. Antiph. In vniversa terra gloria, & honore coronasti eum. Psalm. Domine Dominus noster.

ψ. Posuisti Domine super caput eius. R. Coronam de lapide pretioso.

Lectio iiii.

Antoninus regali genere ortus, cum à primæ ætate Christianam religionem coleret, parentibus orbatus, à Theodorico patre Tolosæ Rege infideli, Pamie (quod est Galliæ Narbonensis oppidum) educatus est. Delato autem ad regem, quod Christianus esset, inde discedens, Romam venit: postea Salernum profectus, ibi duodevinginti annos apud pios & doctos viros in secessu eremitico mansit. Sacris deinde ordinibus initiatus, Diaconatum suscepit. Quo ex tempore, cœpit quam plurimis clarere miraculis, ita vt cæcis visum, surdis auditum, mu-

tis loquelam restitueret, varijs languoribus oppressos sanaret, immundos etiam spiritus ex hominum corporibus eijceret. Huiusmodi verò miracula, vitæ innocentia, & puritas comitabantur, nec à verbi Dei prædicatione, etiam cum vitæ discrimine, quando se ei præbebat occasio (cum martyrij cupidissimus esset) cessabat. In eo munere cum aliquando siti laboraret, elevatis ad cœlum oculis, Deum precatus, baculo, cui innitebatur, terram percussit, ex qua illicò fons emanavit, quo ipse & alij multi sitim extinxerunt.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

ψ. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Aliquot post annos, ad natale solum reversus, & à patre susceptus, aliquandiu cum eo vixit, sed iterum quòd Christianus, & regiæ maiestatis reus esset accusatus, in tenebricosum carcerem (qui Spelunca voti-

votiva dicebatur) compedibus ligatus, sine cibo & potu, conijcitur. Post septem dies Rex carcerem adiit, existimans iuvenem iam inedia mortuum fuisse, quem cum incolumem invenisset, quinnimo puerum nobilem Almachium pondus vinculo- rum eius sustentantem comperiisset; id magicæ arti tribuens, puerum è rupe præcipitari, & beatum Antoninum gravioribus vinculis astringi iussit. Interim Rex in bello perijt, puer verò præcipitatus, illæsus re- per- tus est, & beatus Antoninus ab Angelo solutis compedibus (vt alter Petrus) liberatus, liberius cepit Christianos vinc- tos in carcere, & extra, in fide catho- lica confirmare. Cum autem Theodorico successisset in reg- num Gallatius, Antonini con- sanguineus, & maiores in Chris- tianos persecutiones excitaret, Antoninus à pijs viris ab ira Re- gis ereptus, Pamiam in solitudi- nem secessit, vbi & Almachium puerum reperiit.

Desiderium animæ eius tri- buisti ei Domine. * Et volun- tate labiorum eius non fraudasti eum.

¶ Quoniam prævenisti eum in

benedictionibus dulcedinis: po- suisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio vj.
IBi in spelunca (quæ Ori- entalis dicebatur propè fon- tem simul in orationibus & ie- iunijs se exercentes, ab omni hominum conversatione se- moti, diu commorati sunt. Illis paulò post quidam Ioan- nes presbyter divino instinctu, simul futurus martyr, adiun- gitur. Nam cùm venatores regij ex insperato eos reperis- sent, & Antoninum cognovis- sent, ad Regem deserunt, qui ad se perductum Antoninum, sic alloquitur: Quæ te demen- tia Antonine cepit, vt tui ge- neris oblitus, tuis præstigijs ho- mines dementes, & regnum nostrum perturbes? Cui An- toninus: Non ego, Gallati, quemquam demento, sed vnum Deum, cuius est reg- num & imperium, prædico. Tuos autem, quos colis Deos, ligneos & lapideos, vt falsos, & inanes respuo. His verbis ira inflammatus Rex, illicò eum cum socijs capite plecti, & in flumen (cui nomen Aregia) projici iubet. Eorum corpora

à Christianis inventa , honorificè condita sunt : Et sancti Antonini dexter humerus, cum brachio, qui insimul etiam cum capite, feroci ictu, cum feriretur, abscissus fuerat, in Ecclesia Palentina, cuius Patronus existit, ex multo tempore magna cum veneratione asseruatur : ad cuius tactum puer mortuus, qui multitudine populi sanctas reliquias subsequens, in sinu matris oppressus fuerat, statim revixit. Cum etiam Sanctius Castellæ primus Rex, dum venaretur, aprum qui in antrum confugerat, & cuidam ibidem imagini inhærebat, ferire vellet, statim que ei brachium obriguisset; comperto quod illa esset sancti Antonini imago, in cuius honorem locus habebatur, pœnitens facti Rex, vovit martyri templum ibi erigere, & illicò brachium pristinæ sanitati restituitur. Quare eo loco magnificentissimam Ecclesiam sancti Antonini nomine ædificavit, ædiculam verò antri, vt hodie visitur, sub ipsa Ecclesia intractam reliquit.

℞. Stola iucunditatis induit eum Dominus : * Et coro-

nam pulchritudinis posuit super caput eius. ̄. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus : & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.
Antiph. Iustus Dominus, & iustitiam dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Psalm. In Domino confido. Antiph. Habitavit in tabernaculo tuo: requiescet in monte sancto tuo. Psalm. Domine, quis habitabit. Antiph. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Psalm. Domine in virtute tua.

̄. Magna est gloria eius in salutari tuo. ℞. Gloriam & magnum decorem impones super eum.

Lectio sancti Evangelij secundum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 12. d.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Agustini
Episcopi.

*Tract. 51. in Ioannem, sub
medium.*

IPse Dominus Iesus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudæorum multiplicandum fide populorum. Iam verò exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia. Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenère in Christo, noli mortem timère pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

Re. Corona aurea super caput eius, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. *Ps.* Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. *Expressa.*

Lectio viij.

HOC autem, quod postèrius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit

eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat, sub intelligitur, in hoc mudo, ipse utique perdet, qui autem odit, utique in hoc mundo, in vitam æternam ipse custodit eam. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

Re. Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas iudicum non timuit, nec terrene dignitatis gloriam quæsit, sed ad cælestia regna pervenit. *Ps.* Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. *Gloria.* Qui.

Lectio ix.

Sed vidè ne tibi subrepat, te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, & in se ipsis crudeliores, & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant,

præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit: immò etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit, Redi retrò fatanas: scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas quo volebas: cùm autem senueris; alter te cinget, & feret quò tu non vis. Vbi satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

& per Horas. *Àna.*

Inclutus genere, nèc minus sàctitate, martyr Antoninus à puero sanctis coepit pollere virtutibus. *Psalmus.* Dominus regnavit, cum reliquis. *Àna.* Sacris litteris edoctus Antoninus, salutaria præcepta, quæ legebat verbo, & opere adimplere curabat. *Antiph.* Sanctus Antoninus inter pios & impios numquam à sancta prædicatione cessabat. *Antiph.* Vir Dei Antoninus divino afflatus spi-

ritu, omnes pro Christo mundi divitias contempfit. *Antiph.* Ut erat beatus Antoninus Martirij cupidus, sic illud cum duobus suis focijs fortiter passus est.

Capitulum. *Iacobi 1. b*

Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quã repromisit Deus diligentibus se.

Hymnus.

Invicte Martyr, vnicum Patris secutus Filium, Victis triumphas hostibus, Victor fruens cælestibus.

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ repellens tædium.
Soluta sunt iam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Dono superni Numinis.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cùm Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculum:
Amen.

V Justus vt palma florebit.
R Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus, Antiph.

Hic est Martyr Antoninus, cuius sanctum corpus in martyrio divisum, duabus in partibus tumulatum est; ipse verò Christo coniunctus, cum ipso regnat in caelestibus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem beati Antonini Martyris tui solemnitate clarificas: exaudi preces populi tui, & præsta, vt quæ fideliter expetit, eo suffragante consequi mereatur. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, Antiph. Sacris litteris. Capitulum. Beatus vir.

R. breve. Gloria & honore, * Coronasti eum Domine. Gloria & honore. **V.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti, Gloria Patri. Gloria & honore. **V.** Posuisti Domine super caput eius. **R.** Coronam de lapide pretioso.

Ad Sextam, Antiph. Sanctus Antoninus.

Capitulum. *Eccles. 15.*

Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

R. breve. Posuisti Domine, * Super caput eius. Posuisti. **V.** Coronam de lapide pretioso. Super. Gloria Patri. Posuisti. **V.** Magna est gloria eius in salutari tuo. **R.** Gloriam & magnum decorem impones super eum.

Ad Nonam, Antiph. Vt erat beatus Antoninus.

Capitulum. *Eccles. 39.*

Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

R. brev. Magna est gloria eius, * In salutari tuo. Magna. **V.** Gloriam & magnum decorem impones super eum. In salutari. Gloria Patri. Magna est. **V.** Iustus vt palma florebit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

In secundis Vesperis.

Antiph. Inclitus genere. cum reliquis de laudibus. Psalm. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Psalm.

Credidi. Capitulum. Beatus vir. Hymn. Deus tuorum militum. vt in primis vesp. **V.** Iustus vt palma florebit.

℞. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnificat.
Antiph. Hic est servus Dei, qui pro fide Christi vitam constanter impendit. Oratio vt supra.

DIE III. SEPTEMBRIS.

Secunda die infra octavam sancti Antonini mart.

Omnia sicut in die præter, lectiones, quæ in primo Nocturno leguntur de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episc.

Serm. 44. de Sanctis.

Lectio iiii.

Triumphalis beati martyris Antonini dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit: cuius glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic eius proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cuius glorioso agone duo nobis præcipuè consideranda sunt: indurata videlicet tortoris sævitia, & martyris invicta patientia. Tortoris sævitia, vt eam detestemur: patientia martyris, vt eam imitemur. Audi Psalmistam adversus ma-

litiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus: quoniam tanquam foenum velociter arêscet. Quòd autem adversus malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, vt reportetis promissiones.

℞. Honestum fecit. 4.

Lectio v.

Coronata itaque est beati Martyris patientia, mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, altè retinebat: Quia non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in cælis. Huius promissionis amore à terrenis suspensus, & præ-

gustata supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

℞. Desiderium animæ. 4.

Lectio vj.

Contemplabatur enim quãtum in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere potest, quanta sint supernæ civitatis gaudia: & ea enarrare non sufficiens, admirando clamabat: Quid mihi est in cælo? Quasi diceret: Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, qua nobis, à conturbatione hominum remotis, in abscondito faciei suæ Iesus Christus Dominus noster reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Huius perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium: & si millies posset mori, non putabat se

hanc dignè posse aliqua ratione promereri.

℞. Stola iucunditatis. 5.

In tertio Nocturno.
Lectio sancti Evangelij secundum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

Ex Tract. 51. in Ioannem.

Cum ergo causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum; quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quàm offenso vivere. Ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam.

℞. Corona aurea. 6.

Lectio viij.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quid est, Me sequatur, nisi, Me imitetur?

Chris.

Christus enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Ecce quod dictum est: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu? qua mercede? quo premio? Et vbi sum, inquit, ego illic & minister meus erit.

g. Hic est vere martyr 6.

Lectio ix.

GRatis ametur, vt operis, quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo. Ubi enim benè erit sine illo? aut quando esse malè poterit cum illo? Audi evidentius: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Quo honore, nisi vt sit cum Filio eius? Quod enim superius ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, hoc intelligitur exposuisse, cum dicit, Honorificabit eum Pater meus. Nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quam vt sit vbi est vnicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?

Te Deum laudamus.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

Tertia die infra octavam sancti Antonini mart.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone sancti Augustini Episcopi.

Lectio iij.

Patienter permittunt aegroti se à medicis secari, vri, & varijs amaritudinum confectionibus anxari, vt temporali tandem sanitati restituantur. Quanto magis vir beatus Antoninus longanimiter toleravit omnem acerbiter tormentorum temporalium, vt coronaretur in misericordia & miserationibus, & in bonis satiaretur desiderium suum. In torculari itaque conculcari voluit, vt tamquam vba matura in vinum deflueret, & vinum malorum granatorum dilecto suo propinaret, quo mentes religiosæ inebriatæ, sciunt viriliter conculcari, & ad æterna non retortis oculis anhelare.

g. Honestum fecit. 4.

Lectio v.

Qui enim in tyrociniò suo mundanas contempfit divi-

divitias, qui corporales etiam refrenavit illecebras, qui in propectu militiæ suæ multas est perpeffus iniurias, in perfectione sacrificij nihil sibi reservans; seipsum obtulit holocaustum, bibens illum calicem pretiosum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectionis, sibi prius ab invitatore suo videat appositum. Cuius mors quantumcumque videatur in conspectu reproborum despicibilis, in oculis tamen eius est pretiosa, qui in sanctis suis est mirabilis. Ipse enim primò vocavit militem suum, ipse iustificavit, ipse magnificavit, ipse dedit ei pugnare, ipse dedit & vincere.

℞. Desiderium animæ. 4.

Lectio vj.

Longè est dissimilis hæc militia mundanæ militiæ, in qua victòres existimantur, qui quod malè desiderant assequuntur: qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. In Christiano ergò agone manifesta est poena, occulta victoria, secundum quod ex persona Martyrum clamat Psalmista: Deus repulisti nos, & non exhibis in exercitibus nostris. Da

nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis, in Deo faciemus virtutem. Tamquam si diceret: In victoria nostra gloria nostra intus est, non foris est: foris despecti, intus dilecti. Hinc est quod Ecclesia in præssuris posita infirmiora membra sua confortat, dicens: In mundo præssuram habebitis, sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici mundum. Sed quomodò vicit mundum? Factus est obediens Patri usque ad mortem. Quid autem de morte? Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Quomodo vicit Christus, vincere appetat Christianus, ut ubi est Christus, esse mereatur & Christianus. Audi Christianæ militiæ persecutor ipsum Christum pro militibus suis sic ornatum: Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.

℞. Stola iucunditatis 5.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico

dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini

Episcopi.

QUID sit ministrare Christo, cui operi merces tanta promittitur, hoc potius debemus inquirere. Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere, vel apponere, vel poculum dare, potumque miscere; fecerunt hoc illi, qui potuerunt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha & Maria, quando & Lazarus vnus erat ex discumbentibus.

Ꝟ. Corona aurea 5.

Lectio viij.

Sed eo modo Christo etiam Iudas perditus ministravit: nam & oculos ipse habebat, & quamvis ex his quæ mittebantur sceleratissimè furaretur, per illum tamen & necessaria parabantur. Nullo modo igitur de huiusmodi ministris diceret Dominus: Vbi ego sum, illic & minister meus erit; & Si quis mihi ministraverit, honorifica-

vit eum Pater meus: quoniam Iudam talia ministrantem reprobatum potius quam honoratum videmus.

Ꝟ. Hic est verè martyr. 5.

Lectio ix.

VT quid ergò alibi querimus, quid sit ministrare Christo, & non potius in istis ipsis verbis agnoscimus? Cum enim dixit: Si quis mihi ministrat, me sequatur: hoc intelligi voluit, acsi diceret: Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergò Iesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Iesu-Christi.

T e Deum laudamus.

DIE V. SEPTEMBRIS.

Quarta die Infraoctavam Sæcti Antonini mart.

Lectioes primi nocturni, de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
Sermo sancti Ioannis Chrysol.
tomi.

Sermone I. de Mart. tom. 3.

Lectio iij.

Nemo est qui nesciat; Martyrum glorias ad hoc divino consilio à Dei populis frequentari, vt & illis debitus honor dicetur, & nobis

nobis virtutis exempla , favente Christo, monstrétur ; vt, dum hæc ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in cælis, quorû natalitia talitèr celebrantur in terris: quò possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis , virtute pari devotione consimili ac fide : vt Christo præstante , dimicare, & vincere hostem possimus : vt parta victoria , cum iisdem sanctis in regnis cælestibus triumphemus.

Be. Honestum fecit. 4.

Lectio v.

Quis est enim , qui eorum volens mèrito copulari; nisi prius constantiam eorum teneat , sectetur fidem, imitètur virtutem passionis ; eorum gloriam paribus vitæ lineamentis aut invèniat, aut exquirat ? Qui etsi martyrio par esse non possit: tamèn muneris tanti dignitate se quisque bonis actibus dignum præbeat. Adest enim clementissimus Deus, qui desiderantibus suis, aut martyrium præbeat, aut sine martyrio cum sanctis præmia divina retribuat.

Be. Desiderium animæ 4.

Lectio vj.
VT enim infirmatur peccator adversis , ita iustus tentationibus roboratur. Sic dimicârunt adversus peccatum sancti : sic & laborando fortiores, & moriendo victores effecti sunt. Nullus athlètes sine certamine fortior dici , nullus sine victòria pòterit coronari. Nemo miles sine prælio hostem subiècit : nemo sine bello imperatorem promèruit. Habes Christiane competèntia arma, quibus hostem expùgnes: habes fortissima tela , quibus inimicum debelles.

Be. Stòla iucunditatis. 5.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 12. d

IN illo tempore : Dixit Iesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini
 Episcopi.

HOC est enim , me sequatur , vias ambulat meas, non suas : si-

C 2 q 0 0 0 cut

cut alibi scriptum est : Qui dicit se in Christo manere , debet sicut ille ambulavit , & ipse ambulare. Etiam si porrigit esurienti panem , de misericordia facere debet , non de iactantia : non aliud ibi querere quam opus bonum , nesciente sinistra quid faciat dextra, idest, vt alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis.

34. Corona aurea. 5. *Lectio viij.*

QUI sic ministrat , Christo ministrat, rectèque illi dicitur: Cum vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec ea tantum quæ ad misericordiam pertinent temporalem , sed omnia bona opera propter Christum facient , tunc enim bona erunt. Quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.

35. Hic est verè martyr. 5.

Lectio ix.
Minister est Christi vsque ad illud opus magnæ charitatis , quod est animam suam pro fratribus ponere. Hoc est enim pro Christo ponere: quia & hoc propter sua membra diciturus est : Cum pro istis fecistis, pro me fecistis. De tali quippè opere etiam se minis-

trum facere, & appellare dignatus est, vbi ait: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare & animam suam ponere pro multis.

Te Deum laudamus.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

Quinta die infra octavam sancti Antonini mart.

Lectioes in irp Nocturni, de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Epistola sancti Cypriani Episcopi & martyris ad Martyres & Confessores.

Libro 2. Epistola 6.

Lectio iij.

QVibus ergò vos laudibus prædicem , fortissimi Martyres ? robur pectoris vestri , & perseverantiam fidei , quo præconio vocis exornem ? Tolerastis vsque ad consummationem gloriæ durissimam questionem: nec cessistis supplicijs, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus , quem tormenta non dabant , coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diù perseverabit , non vt stantem fidem deijceret , sed vt homines Dei ad Deum velocius mitteret. 32. Honestum fecit 4.

Lectio v.

Vidit admirans presentium multitudo celeste certamen, certamen Dei, certamen spiritale, praelium Christi: stetit feros eius voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores: & pulsantes ac laniantes ungulas, pulsata ac laniata membra vicerant. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sapiens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in fervis Dei iam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis qui incendium persecutionis extingueret, qui flammam & ignem gehennæ glorioso cruore sopiret.

℞ Desiderium animæ 4:

Lectio vi.

O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis eius acceptum! sicut scriptum est in Psalmis, Spiritu sancto loquente ad nos pariter & monente: Pretiosa est in conspectu Domini mors

iustorum eius. Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis; quæ accipit coronam de consummatione virtutis. Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus fervis suis & pugnavit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit: certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

℞. Stola iucunditatis. 5.

In tertio Nocturno

Lectio sancti Evangelij secundum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 12. d

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini

Episcopi.

Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est & minister Christus. Sic ministrantem Christo

honorificabit Pater eius honore illo magno, ut sit cum Filio eius, nec unquam deficiat felicitas eius. Cum ergo auditis fratres Dominum dicentem: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Nolite tantummodo bonos Episcopos & clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo bene vivendo, elemosinas faciendo, nomen, doctrinamque eius quibus potueritis predicando.

℞. Corona aurea 5.

Lectio viij.

ITA ut vnusquisque Pater familias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere pro Christo, & pro vita aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in aeternum sit cum ipso.

℞. Hic est verè martyr. 5.

Lectio ix.

NAM & illam maximam passionis ministracionem multi ex vestro numero ministrarunt. Multi non Episcopi, nec Clerici, iuvenes & virgines, senes cum iunioribus, multi coniugati & matres coniugatae, multi patresque familias ministrantes Christo etiam animas suas in eius martyrio posuerunt: & honorificante Patre, coronas gloriosissimas receperunt.

T e Deum laudamus.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

Sexta die Infraoctavam sancti Antonini mart.

Lectioes primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 47. de Sanctis.

Lectio iij.

QUotiescumque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus

à Domino cōsequi tempora-
lia beneficia: vt ipsos Martyres
imitando accipere mereamur
æterna. Ab ipsis enim sancto-
rum Martyrum in veritate fes-
tivitatum gaudia celebrantur,
qui ipsorum Martyrum exem-
pla sequuntur. Solemnitates
enim Martyrum, exhortatio-
nes sunt martyriorum: vt imi-
tari non pigeat, quod celebra-
re delectat.

℞. Honestum fecit. 4.

Lectio v.

SED nos volumus gaudere
cum sanctis: & tribulatio-
nem mundi nolumus sustinere
cum ipsis. Qui enim sanctos
Martyres, in quantum potue-
rit, imitari noluerit; ad eo-
rum beatitudinem non poterit
peruenire. Sed & Paulus A-
postolus prædicat, dicens: Si
fuerimus socij passionum, eri-
mus & consolationum. Et Do-
minus in Evangelio: Si mun-
dus vos odit: scitote quia
me priorem vobis odio ha-
bit. Recusat esse in corpo-
re, qui odium non vult sustinere
cum capite.

℞. Desiderium animæ. 4.

Lectio vj.

SED dicit aliquis: Et quis
est, qui possit beatorum
Martyrum vestigia sequi? Huic
ego respondeo, quia non so-
lum Martyres, sed etiam ip-
sum Dominum cum ipsis adiu-
torio, si volumus, possumus
imitari. Audi non me, sed ip-
sum Dominum generi humano
clamantem: Discite à me,
quia mitis sum, & humilis cor-
de. Audi & Petrum Aposto-
lum admonentem: Christus
passus est pro nobis, relinquens
nobis exemplum, vt sequamur
vestigia eius.

℞. Stola iucunditatis. 5.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secun-
dum Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 12. d*

IN illo tempore: Dixit Iesus
discipulis suis. Amen, amen
dico vobis, nisi granum fru-
menti cadens in terram mor-
tuum fuerit; ipsum solum ma-
net. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chry-
sostomi.

Homil. 65. in Ioannem, post med.

TAlem, de resurrectione
disputans, ratio-
nem Paulus etiam at-

tulit

tulit. Quam igitur habebunt excusationem qui resurrectionem non credunt, cum in seminibus & in plantis quotidie hoc videamus, ac etiam in nostro genere? Primum enim corrumpi semen oportet, inde fieri generationem.

✠. Corona aurea. 6.

Lectio viij.

OMnino autem, cum Deus aliquid facit, nulla opus est ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? Hoc ad Christianos dico, qui se dicunt credere Scripturis. Ego autem & aliud dicam ex humanis rationibus. Alij malitiam, alij virtutem sectantur: sed malitiæ sectatorum multi feliciter in ultimam pervenerunt senectutem, virtutis autem contra.

✠. Hic est verè martyr. 5.

Lectio ix.

Quomodo ergo pro meritis unusquisque accipiet? quando? Certè, inquit; sed corpora non resurgunt. Nonne audiunt Paulum dicentem: Oportet autem corruptibile

hoc induere incorruptionem? Neque animam intelligit, quippe quæ non corrumpitur: & resurrectio de mortuo dicitur, Cæcidit autem corpus.

Te Deum Laudamus.

DIE VIII. SEPTEMBRIS.

Septima die Infraoctavam sancti Antonini mart.

Fit de Nativitate B. Mariæ sine com. Octavæ S. Antonini in primis Vesp. & Laud.

In secundis autem Vesp. fit com. diei Octavæ S. Antonini, ut in primis Vesperis, & S. Gorgonij mart.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

Octava sancti Antonini martyris.

Duplex.

Omnia tucsi in die: sed in primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Lectio iij.

CUM omnium sanctorum Martyrum, fratres, devotissimè natalem celebrare debemus, tum præcipue

puè eius solemnitas tota nobis veneratione curanda est, qui nostræ vrbis patrocinium tenere voluit. Nam licet vniuersi sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter tamen beatus Antoninus pro nobis intervenit, cuius exemplo didicimus Christo credere, didicimus contumelias vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debemus, in quo alter tortus est, vt alter saluaretur: alter carnificem pertulit, vt Christum alter agnosceret: alter morti addictus est, vt alius vita potiretur æterna: & ad postremum sanctus occisus est, vt peccator evaderet. Beati igitur martyres neque sibi sunt mortui: exemplum enim nobis reliquerunt, bene vivendo, conversationis: tolerando fortiter, passionis. Nam ideò Dominus per totum mundum diversis in locis pati martyres voluit, vt tamquam idonei testes nos præsentis quodam fidei exemplo suæ confessionis vrgerent: vt humana fragilitas quæ prædicationis Dominicæ aditum,

longiore vix credit, vel præfenti oculorum testimonio, martyrio crederet beatorum.

Re. Honestum fecit 4.

Lectio v.

CUM igitur martyres devotissimè percolendi sunt, sed specialiter venerandi sunt nobis, quorum reliquias possidemus: illi enim nos orationibus adiuvant, isti etiam adiuvant passione: cum his autem nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos iuvantes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: hic ne peccatorum nos labes assumat, ibi ne inferni horror invadat. Nam ideò hoc à maioribus provisum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus; vt dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat: dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat.

Re. Desiderium animæ. 4.

Lectio vj.

CUM sanctis ergo martyribus quiescentes, evadimus inferni tenebras eorum

D

pro-

proprijs meritis: attamen con-
 socij sanctitate; ait enim Domi-
 nus Petro: Tu es Petrus, &
 super hanc Petram ædificabo
 Ecclesiam meam, & portæ in-
 feri non prævalebunt ei. Si er-
 go Apostolo & martyri Petro
 inferi porta non prævalet, qui-
 quis sociatur martyri, tartaro
 non tenetur. Martyres enim
 inferni portæ non possident,
 quoniam eos paradisi regna
 suscipiunt: nam videmus eos
 vtique iam regnare, cernimus
 enim ab ijs frequenter obsessos
 immundissimis dæmonibus ho-
 mines liberari, ita vt cælesti me-
 dicina captiva anima de diabo-
 li laqueis eruatur, & ipse dia-
 bolus vinculis igneis alligatus,
 producatur de sua captivitate
 captivus: vt qui prædam pau-
 lō ante ceperat, ipse subdatur
 in prædam. Hæc & alia potiora
 mirabilia per sanctos fieri om-
 nibus notum est. Et ideo fra-
 tres veneremur eos in præsentem
 sæculo, quos defensores habere
 possumus in futuro, & sicut
 ossibus parentum nostrorum
 iungimur, ita eis fidei imita-
 tione iungamur. In nullo enim
 ab ipsis separari poterimus, si

sociemur illis tam religione
 quam corpore.

Stola iucunditatis. 5.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secun-
 dum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 17. d.

In illo tempore: Dixit Iesus
 discipulis suis: Amen, amen
 dico vobis, nisi granum fru-
 menti cadens in terram mor-
 tuum fuerit, ipsum solum ma-
 net. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chry-
 sostomi.

Homil. 66. in Ioannem.

Dulcis presens vita est,
 & multæ plena vo-
 luptatis, non tamen
 omnibus, sed ijs tantum qui illi
 sunt affixi. Quod si quis in cæ-
 lum suspexerit, & quæ ibi præ-
 clara sunt, contemplatus fuerit,
 statim hanc contemnet, ac
 nullius prætij existimabit. Nam
 & corporum pulchritudo,
 quoad pulchrius non depre-
 henditur, in admiratione ha-
 betur,

betur, cum verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cælestis regni speciem considerare, confestim nos huius sæculi vinculis dissolvemus. Vinculum namque est terrenarum rerum affectio: ad cuius dissolutionem ut nos induceret Christus, quid dicat, attende: Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ænigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, immò verò præcipuæ sapientiæ plenum.

Æ. Corona aurea. 5.

Lectio viij.

ET quomodo qui amat animam suam, perdet eam? Qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam; hoc est, qui non paret ei, cum noxia iubet. Et non dixit, qui non paret, sed qui odit? Sicuti enim quos odio habemus, ne vocem quidem audire, nec

vultum eorum videre æquo animo patimur: ita & animæ, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, vehemèter averfari oportet. Cum enim iam de morte ad eos verba facturus esset, de morte videlicet sua, & prævidèret eorum tristitiam & exanimationem, per excessum locutus est, inquiès: Quid dico, si mortem meam generosè non feretis? nisi vos ipsi moriamini, nullum vos sequeretur emolumentum.

T e Deum laudamus.

Nona Lectio de S. Gorgonio mart. in Laudibus fit com. Octavæ B. Mariæ, & S. Gorgonij mart.

In secundis Vesp. à Cap. fit de S. Nicolao de Tolentino Confes. & com. S. Antonini, & Octavæ B. Mariæ.

DIE XVIII. MAIJ.

Translatio sancti Antonini
mart. Dupl.

Si venerit tempore Paschali fiat Officium de communi martyrum illius temporis, excepta oratione & lectionibus secundi noct. quæ dicuntur propria diei festi.

Si autem extra tempus Paschale, omnia fiant vt supra in eius festo.

COMMEMORATIO

quotidiana sancti Antoni

ni mart.

Ad Matutinum & Vesp.

Antiph. Hic est martyr Antoninus, cuius sanctum corpus in martyrio diuisum, duabus in partibus tumulatum est, ipse ve

ro Christo coniunctus, cum ipso regnat in cælestibus.

Ÿ. Ora pro nobis beate Antonine. R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Gloriosi nos, quæsumus Domine, Antonini Martyris tui merita tueantur: vt quem Patronum veneramur in terris, adiutorem sentiamus in cælis. Per Dominum nostrum.

